



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Homines canibus ingratiore, leonibus sæuiore, injustè contrà bestias queri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

liavit? Indignum esse putatis, vt damno vos afficiant animalia in
utilitatem creata? vt martes columbas jugulet, vt vulpes galli-
nam, lupus ovem auferat? vt vrsus equum, aut bouem occidat?
vt scorpio filiolum percutiat? ob hæc talia iracundiam reprime-
re, & ad vos redire non potestis? Nimirum per ista vult vobis
Deus ostendere, quo ipse in vos animo esse debeat, qui & ipsi lon-
gè perueciaciùs Domino vestro rebellatis. Nihil à vobis bestiæ, vos
omnia à Deo accepistis: non ergo illæ vobis, sed vos Deo obligati
estis. Longè igitur iustius ille de vobis; quàm vos de bestijs, con-
queri potest ac dicere: *Filios enutriui & exaltavi, ipsi autem spreue-
runt me.*

Quid de canibus loquar, ait S. Ambrosius, quibus insitum est
naturà quadam, referre gratiam, & sollicitas excubias, pro domini-
orum salute, præstare. Quis non erubescat gratiam bene de se meron-
tibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati?
Et illa impertita alimonia seruant memoriam, tu non seruas salutis
acceptæ? Altonat Basilus, Memoria beneficiorum animantis huius,
inquiens, beneficiorum immemorem non pudore asperserit? Iam qui-
dem & interfectis à latronibus, in solitudine, dormitis complures à ca-
daueribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoria traditur.
Nonnullus etiam cade adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones in-
quisierunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hîc dicent,
qui nullo seum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore?
Qui, pro tot pecoribus, pro tot iumentis sibi datis, gratias nul-
las agunt? qui, ob minimum damnum à bestia illatum, in furo-
rem vertuntur; & in creatura, Creatorem ipsum execrantur?
Nimirum agunt ipsi pro affectu, nec ratione cohibent impetum
animi, & vellent ratione carentes bestias, nec irasci, nec se vin-
dicare de inimicis. Enimuerò Deus, qui illis naturam dedit, dedit
vt irascerentur, & in vindictam efferuescerent; quamuis ne tum
quidquam vlli inferre possint damni, sine prouidentia, certò que
iudicio illius, sine cuius voluntate ne capillus quidem de capi-
te nostro perit. Quis miretur vulneratam belluam in vltionem
conciliari? Natura cuique dicit vindictam. Si ergo gladiator
ignoscit antagonistæ seu cæsim, seu pinctim se defendenti; cur
tu belluam feris, & velles, vt non refereret? Admirationem, non

Isa. 1. 74.

II.
S. Ambrosius,
lib. 6. c. 4.
Hexæm.

Basil. hom. 9.
in Hexæm.

Bb

indigna.

indignationem apud historicos meretur, quod Iuba regi Maurorum fertur contigisse. Hic rex, cum exercitu suo, aliquando per Africæ deserta, rerum suarum componendarum studio proficiscebatur. Erat in eius comitatu præstantissimi animi juvenis, qui ex itinere obuium leonem sagitta percussit. Saucius leo in siluam se recepit. Multum temporis ierat, cum Iuba, rebus ex toto compositis, eadem via copias domum reduxit. Ibi idem ille leo, excusso telo, & sanata iam diu cicatrice, obseruauit transeuntes, atque è tam magno equitum numero, illum solum iuuenem, qui vulnus inflixerat, ex omni multitudine, violentissimi cursu petiuit, hostilitèrque aggressus, nulla confluentium militum vi cohiberi potuit, quin unguibus correptum, dentibus delaniaret. Ea vlione contentus, nemineque alio læso, in nemore interiora recessit. Quæ in reliquos clementia multò vtique magis est admiranda; quàm, quòd se leo de vnico hoste vindicauit. Multi homines non contenti sunt inimicum perdere, sed faciunt etiam in amicos inimici. Atque hæc de primo satis.

II. I. I.
Senec. li. 2.
de ira. c. 31.

Sed ad secundum venio, & cum Seneca, dico: *Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac fœmias persultantibus, terga impune calcata, & repentes inter pocula sinibus innoxio lapsu, dracones, & intra domum vsorum, leonumq; placida tractantibus, adulantesq; domino feras, prædebet, cum animalibus permutasse mores.* Quis enim rubore non perfundatur, si

Senec. lib. 1.
de benef. c. 3.

videat, humanam quodammodo in belluis mansuetudinem, in se autem animum ad ferinos mores, ad indomitam obstinationem obbrutuisse? *Officia, inquit idem Seneca alibi, etiam fera sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non curam mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impune tractantur.* Et homo se non sinit tractari à Deo? Elephas collo

Matth. 11. 30.
Iob. 21. 14.

jugum submittit; & homo excutit à se suauè jugum Christi, dicens: *Non seruiam?* Certè Iob testatur, esse, qui dixerunt Deo: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?* Patitur leo frænnum hominis, & homo nulla se sinit lege frænari? Tatros stimulo impellit modicus puer, & homo sese à Deo non sinit, ad virtutem extimulari? *Super aspidem, & basiliscum*

Psal. 90. 13.

ambu-